



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCLXXXV. De Destructione suburbii Castri Garthe.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Sigfridus de Feuchtwangen XII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus Sak XVI. Mag. Prov. in Prussia.*

occisori Nepotis sui caput uno iictu amputavit. In hac pugna quatuor fratres scil. duo de Bolandia, frater Bernhardus de Hohenstein, & frater Johannes Monachus, & VI. viri ceciderunt interfecti. Hoc facto, CC. viri, qui processerant, reversi cum magno strepitu & fragore venerunt ad locum certaminis, & tantum hostibus terrorem indiderunt, quod Rex & omnis sui statim visis eis arma rejicerent & in fugam converterentur. Ex tunc fratres percusserunt peccatores in ira sua, & occiderunt XVII. potentiores de Regno Lethoviae & de populo etiam multitudinem copiosam.

ANIMADVERSIONES.

(a) Stryikovius mox legit Hollandus, mox Bolandus.

(b) Jeroschinus g. fratres fuisse dicit.

C A P. CCLXXXV.

*De**Destructione suburbii Castri Garthe.*

Anno Domini MCCCVI. Frater Conradus Magister intelligens relationem veridicam, quod de Lethovia & Castro Gartha magnus exercitus versus Poloniam processisset, fratre Albertum de Indagine, & quosdam alios fratres cum CCCC. viris

*Anno Domini MCCCVI. in
Prusicia in Castro Kunnigsberg incœpit Dominus facere
miracula propter reliquias
S. Huperti, & multi homines, & canes, & alia quadrupedia à diversis langvoribus sunt
curati.*

de Nattangia ad expugnandum Castrum prædictum. Qui dum appropinquarent Castro, tanta intemperies aëris orta est, quod unus alium vix audire potuit, vel videre, & durante adhuc tempestate hac, intraverunt præurbium ipsius Castri, quod tunc magnum fuit & populosum ad modum Civitatis, & captis o-

mni-



*Sigefridus de Feuchtwangen XII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus Sak XVI. Mag. Prov. in Prussia.*

mnibus & occisis hominibus, & combusto præurbio cum præda tanta, quantam deducere poterant, sunt reversi.

ANIMADVERSIO.

(a) Jeroschinus habet S. Ruperti.

CAP. CCLXXXVI.

Item de eodem.

POST redditum hujus exercitus, frater Eberhardus Commendator de Kunnigsberg, intellecto quid egerit sperans quod delecto suburbio castrum facilius expugnaret, cum centum fratribus & sex millibus equitum dictum Castrum Gartham est aggressus. Sed Rex Lethoviæ auditâ destructione suburbii hujus castri, misit præelectos viros & in armis expeditos plurimos ad defensionem. Unde factum est, quod dum fratres castrum impugnarent, castrenses, ex adverso se viriliter opposentes, exierunt ad prælum, quod diu inter eos duravit. Tandem fratres fugaverunt eos. Reversi igitur ad Castrum, post modicam horam resumptis viribus & audaciâ iterum exierunt ad pugnam, & hoc factum fuit pluribus vicibus ab ortu solis usque ad meridiem. Quanquam isti illos aliquando, illi istos aliquando, represserunt. In isto certamine multi de infidelibus lethali- ter sunt vulnerati, & plures mortui ceciderunt. De nostris vero, fratres XII. & XXX. viri fuerunt vulnerati, & frater Hartmannus de Elsterberg telo per collum sagittatus, postea expiravit.

CAP. CCLXXXVII.

De quodam Miraculo.

HOC tempore quidam Lethovinus de Erogel captus à Rege suo,